Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35536
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift



In diebus ill: vene Lectio libri
runt filij isrl' in helim. Exodi.
ubi erant duodecim fontes aquarum
et septuaginta palme et castrametati sunt
iuxta aquas. profectique sunt de helim.
et venit omnis multitudo filiorum isrl'.
in desertum sin. quod est inter helim et sinai.
quintadecima die mensis secundi. postquam
egressi sunt de terra egipti. Et murmu-
rauit omnis congregatio filiorum isrl'.
contra moisen et contra aaron in solitu-
dine. dixeruntque ad eos filij isrl'. Utinam
mortui essemus per manum domini in terra
egipti. quando sedebamus super ollas carnium
et comedebamus panes in saturitate. Cur
induxistis nos in desertum istud: vt oc-
cideretis omnem multitudinem fame.
Dixit autem dominus ad moisen. Ecce ego
pluam vobis panes de celo. Egrediatur populus
et colligat que sufficiunt per singulos dies.
vt tentem eum. vtrum ambulet in lege mea
an non. Die autem sexta parent quod inferant
et sit duplum quam colligere solebant per sin-
gulos dies. Dixeruntque moises et aaron.